sed condignam potius diligentiam adhibentes, per totum Imperium Romanum certos quosdam homines, non ex obscurioribus, mittebant; ut, si qui invenirentur huic Deo adversae doctrinae adhaerentes, (quandoquidem tot Episcoporum et Presbyterorum admonitiones et correctiones apud ipsos nihil profecerant, nec ab impietate ipsos deducere poterant) ut illos, inquam, qui adeo essent inemendabiles, tanquam communem pestem et perniciem generis humani, gladio ferirent. Pervenerunt et haec mandata ad Armeniorum provinciam. Erat eo tempore Neo-Caesareae Episcopus Thomas, et alius quis nomine Paracondaces ~~qui~~ Praefectus illic regionis, ut iis, qui honestam vitam sectarentur, et caelestis Reipublicae cives se profiterentur, jus et leges administraret.

Judicant Manichaeos in Armenia Thomas Neo-Caesareensis Ep. et Paracondaces Praefectus.

Uterque horum, qui cum aliis quibusdam viris prudentibus judicio sacro praeerant, cum Imperatorium mandatum accepissent, ~~et communicato consilio adhibitis quoque aliis viris prudentibus causam cognoscerent, in~~ omnes illos quos Magistratus civilis inquisitio repererat, et comprehensos ad ipsos transmiserat, accurate ~~examinabant~~ ~~scrutabantur~~ interrogabant et examinabant. Et eos, qui culpa tenebantur, ab innocentibus distinguentes hos quidem statim noxa et poena liberos pronunciabant: (quosdam tamen ex ipsis etiam ecclesiasticae ~~censurae~~ disciplinae subjiciebant) alios vero plane insanabiles leges civiles et forum in quo Magistratus impios hos judicant, sibi vindicavit. Interea dum inquisitio haec et judicium et disceptatio et totum negotium geritur, judicum horum caedem distribuunt inter se illi, qui Cynochoritae vocabantur et alii quos Astatos (instabiles ~~implacatos~~) nominabant. Et instabiles ~~implacati~~ quidem hi, nullius alius operam desiderantes ipsi dolo et proditione sua Praefectum, quem dixi, necant.

Uterque a Manichaeis interficitur.

= Erant autem hi discipulorum Sergii inquietissimi quique.